

& cum omnia ad Deum, tanquam originem suam, nihil ad seipsum referre deberent, ingenium suum plus aequo approbant, & ostentui habent, nihilque suis viribus arduum rati, aliena magis, quam sua curant. DEVS itaque, qui castam mentem amat, deque sua gloria nihil sibi ab hominibus detrahi vult, hunc sui neglectum non cessat ulcisci, ut contemnentes ipsi sibi sint perniciosi, contemptus sui praemium stultitiam reportantes. (4) In quos recte convenire videtur illud Venceslai Imp. *Μωρόσοφοι μωρότατοι*. Quo magis enim sapere sibi videntur prae aliis, hoc difficilius erit factu, dare ipsis consilia, quibus ad sanio-rem mentem redire ipsos, vitiaque virtutibus emendare liceat.

III. Declaravit id omni aetate temeritas Philologorum. Hoc enim hominum genus ita humaniorum litterarum dulcedine capitur, ita immersum est studiis elegantioribus, ut omne tempus litteris, nihil Deo tribuat, omnia prae illis postputanda existimet. Inde evenit haud raro, ut multi vel exigua, vel nulla religionis aeternaeque salutis cura tacti, ad detestandum neglectum Numinis prolabantur. GABRIEL NAVDAEVS, doctissimus vir, de religione, quam profiteretur, quaesitus: *Intus*, dixit, *ut lubet, foris, ut moris est*. (5) Eadem, si non deteriore mente IUSTVS LIPSIVS fuit, primo Ienae doctor Lutheranus, deinde Calvinianus, denique Pontificius, scriptor de constantia inconstantissimus: qui in omnibus religionibus nonnulla, quae sibi displicerent, invenisse ratus, confessus saepe est: omnem religionem & nullam religionem sibi unum & idem esse. Perronius asseverat, Lipsium per omne illud tempus, quo Lugduni in Batavis commoratus est, nunquam ad sacrum corporis Christi epulum accessisse (6). Nec minor audacia in illis deprehenditur viris, qui humanae sapientiae nimium confisi, ne sacro quidem codici reprehendendo pepercerunt, eiusque dictionem nunc lectione indignam, ut P. Bembus fecit (7), nunc barbarismis & soloecismis refer- tam cum CAPELLO, ERASMO, BEZA, R. SIMONIO (8), nunc ad erroneum captum vulgi accommodatam cum N. COPERNICO (9), nunc aliis modis corruptam, inique autumant (10). Hos omnes, dum humanam profanamque sapientiam ad divinum codicem explicandum intempestive attulerunt, huius simplicitate sprete, nescio quae vertigo, unde lapsus ortus est, ex iusto DEI iudicio cepit.

) (2

IV. Do-

(4) Rom. I, 20. (5) Max. Reverend. L. de Vedig Diss. de religionum in- differentism. θ. XV. (6) Reinhardi theatrum prudentiae elegant. p. 189. (7) T. Lansius Cons. p. m. 782. sq. (8) v. Engelke Diss. Schomeri Coll. contr. praemiss. (9) v. D. Fecht syll. contr. rec. Diss. IV. §. 4. sq. (10) Engelke Diss. all.